



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Vniversalis Historiæ Ecclesiasticæ Medvlla**

**Pareus, Daniel**

**Francofurti, 1633**

Pontifices Romani A Leone III. vsque ad Gregorium VII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64973)

Spirensē magnis sumptibus exstruxit, in qua etiam sepultus est, anno Imperii 15.

Successorem reliquit Henricum III. cognomento Nigrum, à Principibus Electoribus Imperatorem designatum: qui exitiale dissidium trium Pontificum sustulit, & nouum Papam Suidgerum Bambergensem Episcopum, quem Clementem II. dixere, in sede Pontificia collocauit: vetera iura Imperatorum, in electione & confirmatione Pontificis, post Carolum Magnum, & Othonem I. recuperauit. In Germaniam regressus, 17. Imperii anno ad superos abiit, quum Leonem IX. primo, mox eo defuncto Victorem II. Pontifices suo priuilegio declarasset, vnde Victor in beneficii gratiam filium eius Henricum IV. quinque annos natum, Cæsarem eligi, & Aquisgrani coronari curauit.

PONTIFICES ROMANI A LEONE III. vsque ad Gregorium VII.

**L**EO III. patria Romanus, Carolum Magnum Imp. Romæ solenniter coronauit: cum tali acclamatione totius cleri ac populi Romani: *Carolo piissimo Augusto, à Deo coronato, magno, pacifico, Imperatori Romanorum, vita & victoria.* Pontificum decreta omnium Doctorum scriptis præponenda esse statuit. Migrauit ex hac vita Anno Domini 816.

Strepha-

Stephanus V. patria Romanus, Rhemis in Ecclesia vnxit Ludouicum Pium in Imperatorem, & Irmgardim Vxorem eius coronauit. Mortuus est anno Domini 817.

Paschalis I. Lotharium, Ludouici Imperatoris filium, Romæ in Basilica S. Petri coronauit, Obiit anno Domini 824.

Eugenius II. in Pontificatu rem frumentariam a deo curasse fertur, vt multis videretur paciscendis hominibus natus. Quid interim egerit in pastu viuifici Dei verbi, certi nihil adhuc legimus. Perrexit ad Patres Anno Domini 827.

Valentinus I. ex Diacono Papa creatus, post dies 40. è viuis excessit.

Gregorius IV. post Valentinum, absente Imperatore, à clero, populoque Romano Pontifex electus, non prius Pontificium munus in eundum sibi putauit, quam missis ad Imperatorem nuntiis, consensum eius impetrasset: vt Platina & Sabellicus referunt. Deos alienos, sanctos mortuos coluit. Dominatum super Ecclesias affectauit. Ansgarium constituit Hamburgensibus Archiepiscopum, & Pontificium legatum in omnia regna Aquilonis, vt eo modo Ecclesias septentrionis, quæ tum colligi incipiebant, suæ potestati subiiceret. Diffidium inter Ludouicum, & filios eius, simulauit quidem se componere velle, sed magis auxit. Obiit anno Domini 843.

Mortuo Gregorio, Pontifex designatus est Sergius II. non expectato Imperatoris iudicio & as-

& assensu; oppresso etiam Iohanne, qui armis eam dignitatem sibi vindicare cœperat, Anno Domini 844. Idololatriam, & venerationem sanctorum mortuorum, grauiter & solerter promouit. Primus fuit, qui nomen Christo datum, & in ipso baptismo susceptum, propria voluntate abnegauit, ac aliis suis successoribus exemplum proposuit, quod plerique postea imitari sunt. Nam Sergius, & non Os Porci in Pontificatu dici voluit. Ad maiores suos collectus est, Anno Domini 846.

Leo IV. in scio Imperatore Pontifex consecratus est. Pontificem ius vtriusque gladii habere, & regna huius mundi possidere, Ecclesie & Reip. dominari debere, existimauit. Consilium de Imperii dignitate à Francis ad Græcos reducenda iniit, licet ea de re accusatus iureiurando se purgaret.

Leoni successit Iohannes VIII. cognomento Angelus, patria Moguntinus, meretrix quædam, & nobile scortum, Agnes nomine, quæ se xum habitumque mentita est virilem. Primum Athenas cum amatore quodam profecta, doctrina literarum præclare sese instruxit, vt Romanam reuersa docendo, disputandoque omnes superaret. Itcirco anno Domini 854. ad Pontificatum euecta est, in quo à familiari compressa, cum ad Lateranensem basilicam contenderet, partus dolore circumuenta, in itinere peperit. ac paulo post mortua est, Anno Domini 857. Hinc fieri scribunt, vt Papa, cum ad Basilicam Lateranensem contendit, viam illam

lam declinet. Et ne in posterum talis error in sexu committatur, aiunt Papam electum collocari in porphyretica Petri sella perforata, ut genitalia eius à Diacono atrectentur, & sexus exploraretur, cum hac exclamatione: *Habet, Habet.* Hunc vero morem explorandi sexum, tanquam minus conuenientem Petri successoribus, abrogasse dicitur Paulus III. qui ostensis aliquot liberis sexum suum demonstrauit. Belarminus totum hoc factum negat, & utitur argumentis Onuphrii, ex quo omnia sumsit, quæ hac de re habet. Aspis scilicet à vipera venenum mutuatus est: ut loquitur Tertullianus. Et omnes nunc Papistæ ferre nequeunt: mirum, ut abominentur: certe fœda res est. Ego nihil dixi hac de re, nisi quod inueni in historiis, usque non nostris, sed illorum; ex quibus facile ostendi potest, non esse fabulam anilem. Martinus Polonus in Chronico suo scribit, reuera fœminam factam esse Papam, & peperisse. Platina, qui scripsit vitas Romanorum Pontificum, & fuit à Secretis Sixto IV. in Iohanne VIII. hoc idem affirmat, & ait, omnes fere hoc affirmare, & esse ex iis, quæ fieri posse creduntur. Nec primum hoc scripsit Martinus Polonus, pœnitentiarius Romani Pontificis. Nam ante illum Marianus Scotus, qui ducentis annis antiquior fuit, hoc habet: & Sigebertus quoque Monachus. De hac Papissa scripserunt etiam alii permulti, antequam Lutherus natus est. Inter Græcos vnus Leonicus Chalcondyla: inter Latinos vero Sabellicus, Anto-

M

ninus

ninus, Chronica chronicorum, supplementum  
 Chronicorum, Matthæus Palmerius, Theodo-  
 ricus Niemus, Volaterranus, Boccacius, Nau-  
 clerus, Fasciculus temporum; & multi alii.

Benedictus III. mortua Iohanna Anglica in  
 partu, inuitus à clero & populo electus est Pon-  
 tificex, cum Diaconus testiculos eius exploraf-  
 set: anno Domini 857. Anastasio, qui erat ab  
 Imperatore Ludouico & Lothario Pontifex de-  
 signatus, cedere noluit. Pedes suos osculandos  
 præbuit plebi, seque tanquam idolum terrenum  
 adorari passus est. Obiit anno Domini 859.

Nicolaus Magnus, à clero, populo, & Ludo-  
 uico Imperatore præsentem, Pontifex designatus  
 est. Anno Domini 860. Dominatum in Ec-  
 clesias vsurpauit. Nam Iohannem, Rauennæ  
 Archiepiscopum, pristinam suæ sedis liberta-  
 tem asserentem, dignitate priuauit, eamque Ec-  
 clesiam in perpetuam seruitutem redegit. Re-  
 gna huius mundi, & gloriam eius accepit. Nam  
 Ludouicus Imperator ei obuiam factus, ex e-  
 quo descendit, & frenum equi Pontificii appreh-  
 hendens in castra duxit. Equo insidens, & sti-  
 parus satellitibus, in templum Petri ire solebat.  
 Lotharium Imp. miris modis exagitauit, ob  
 Thierbergam vxorem dimissam, & Walradam  
 pellicem susceptam; ac coegit eum tandem,  
 vtraque repudiata, vitam monasticam profite-  
 ri. Collectus est ad suos maiores, Anno Do-  
 mini 867.

Hadrianus II. sese Pontificem designari pas-  
 sus est sine suffragiis legatorum Imperatoris;  
 qui

qui etsi moleste id tulerunt, tamen inuicti tranquillitatis gratia consenserunt. Dominatum in Ecclesiam vsurpauit. Nam ad Synodum Constantinopolitanam neminem admisit, nisi prius libello subscripsisset, in quo existerat professio, quod Romanum Pontificem agnosceret caput omnium Ecclesiarum. Certamen ei fuit cum Carolo Caluo, & Hincmaro Episcopo Rhemensi, de Laudunensis Episcopi appellatione ad sedem Romanam. Mortuus est Anno Domini 872.

Iohannes IX. ex Diacono Pontifex creatus est, Anno Domini 873. quo Ludouicus Imperator mortuus est. Fuit Latine & Græce doctissimus. Ante Pontificatum scripsit quatuor libros de vita Gregorii Magni. Regna huius mundi, & gloriam eius possedit ac vsurpauit. Nam acceptis muneribus Carolum Caluum inaugurauit Imperatorem: ac eo mortuo, contra Senatus Romani voluntatem, elapsus ex carcere, & fugiens in Galliam, Ludouicum Balbum, Francorum Regem coronauit: postea Romam reuersus, etiam Carolum Crassum Germanorum Regem Cæsarem pronunciauit, & diademate Imperii adornauit. Obiit Anno Domini 885.

Martinus II. natione Gallus Pontificiam dignitatem malis artibus acquisiuit. Ante Pontificatum, cum Iohannes IX. Ludouico Balbo Imperii coronam censeret conferendam, ipse cum Senatu Romano fauit & studuit partibus Caroli Crassi, Germanorum Regis; ac effesit,

vt Pontifex in vincula coniiiceretur. In Papatu vero suo, etsi parum de eo in literas relatum est, tamen non fuisse suorum maiorum dissimilem, facile est cogitare.

Hadrianus III. Pontificatum adeptus est, anno Domini 889. Dominationes seu magistratum contempsit, & Imperatoribus omne ius, quod in Pontificem & Urbem Romam hactenus habuerunt, ademit. Decretum enim cum Senatus & populi assensu fecit, ne in creando Pontifice amplius expectaretur Imperatoris auctoritas, sed vt semper libera essent & cleri & populi suffragia.

Stephanus VI. eo tempore Papatu inuit, quo Gallia à Normannis, Anglia à Dacis, Pannonia ab Hunnis, & Italia à Saracenis affligebatur, circiter annum Domini 895. Sanctos mortuos, Deos suos, religiose coluit. Romanæ Ecclesiæ statuta omnibus necessario obseruanda esse, primus decreuit. Ad Patres suos descendit, Anno Domini 899.

Formosus, Portuensis Episcopus, à Nicolao Pontifice ad Bulgaros missus est, vt eorum Ecclesias à Græcis collectas, Romanis imbueret ritibus. Postea dissensit à Iohanne IX. Pontifice, de Ludouico Balbo in Imperatorem eligendo, ac sese cum Senatu coniunxit, qui Iohannem in vincula coniecit. Liberato Pontifice, metuit tyrannidem, & Episcopatu suo deserto, aufugit in Gallias. Reuocatus Romam ad dicendam causam, contumeliose omni Ecclesiastica dignitate priuatur, & laicali vestitu

orna-



ornatur. Hanc contumeliam moleste ferens, cum ab Vrbe decedit, iurat, se nunquam postea vel Romam, vel ad Episcopatum reuersurum. Martinus vero Pontifex, qui & ipse inter aduersarios Iohannis fuerat, bono viro iniuriam factam agnoscens, illum à iurisiurandi religione absoluit, & in patriam ac pristinam dignitatem restituit. Mortuo Stephano, pars de populo & clero Formosum elegit Pontificem; pars vero Sergium. Sed ea, quæ Formosum elegerat, cum Sergius ordinandus esset, irruit in Ecclesiam, & illo ab altari remoto, Formosum consecrauit, anno Domini 895. Cum vero à Romanis affligeretur Formosus, attraxit ille Arnulphum, Carolomanni filium, cum exercitu, qui expugnata Vrbe, eius aduersarios capitali supplicio affecit, ac ab eodem Imperii coronam gratitudinis ergo accepit.

Bonifacius VI. successor Formosi, tantum dies 26. in Pontificatu vixit, veneno fortassis sublatus ab hominibus factiosis.

Stephanus VII. Formosi cadauer effodit, acta rescidit, duos digitos de manibus eius abscidit, & corpus reliquum in Tyberim proiecit. Obiit primo anno Pontificatus sui. Ranulphus scribit, eum relicto Papatu, Monachum esse factum.

Romanus I. nomine & patria, successit Stephano, & causam Formosi approbans, antecessoris sui decreta & acta rescidit, & tertio mense, veneno forte à factiosis propinato, obiit, anno Domini 898.

Theodorus II. sedit tantum dies 20. & à factiosis, vt credibile est, è medio sublatus est, Anno Domini 898.

Iohannes X. aliis IX. Pontificatum adeptus, turbas aliquo modo iam sopitas resuscitavit. Dum enim Formosi acta, maxima Romanorum parte contradicente, in integrum restituere conatur, seditioni in Vrbe Roma causam præbuit, ita vt parum à cruento conflictu abfuerit. Pontifex vero vitæ in periculo se versari animaduertens, fugam arripuit. A Ravenatibus igitur exceptus, 74. Episcoporum Concilium ibi coegit, cui Carolus Simplex, Francorum Rex, cum Archiepiscopis Galliarum interfuit. In eo autem Formosi acta rata esse censuit; repudiatis, ignique traditis Stephani decretis. Obiit anno Domini 901.

Benedictus IV. post Iohannem ad Pontificatum euectus est. Nihil autem in tanto dignitatis fastigio laude & memoria dignum ab eo gestum reperitur. Mortem obiit anno Domini 904.

Leo V. quadragesimo sui Pontificatus die, à Christophoro eisdem honores ambiente, captus, in vincula coniicitur, vbi paullo post animi mœrore extinctus est, anno Christi 905.

Christophorus I. vi & armis, immo & meretricum ope (iuxta Balæum) Pontificatum sibi rapuit. Verum talionis pœnam tulit, & publico carcere traditus, misera vitam finire coactus est: cum iam septimum sui Papatus mensem ageret.

Sergius III. Christophorum sede deiecit, in-

car.

carceravit, ac Papalem cathedram violenter in-  
uasit. Formosi cadaver, post octo annos, à se-  
pultura laicali denuo extrahi fecit, & sedi Papa-  
li impositum capitali supplicio, tanquam viue-  
ret, affecit. Tres quoque digitos, ex priori Ste-  
phani mutilatione relictos, amputavit, & cor-  
pus ipsum cum his omnibus in Tyberim proiici  
iussit. Ex impudentissima meretrice Marozia  
nothum Iohan. XII. Papam spurcissimus adul-  
ter genuit. Mortuus est anno Domini 913.

Anastasius III. quid præclari in gubernatio-  
ne gesserit, nusquam apud auctores exstat.

Lando I. adeo obscurus est, ut à plurib. scri-  
ptoribus ipsis Pontificibus Romanis non annu-  
meretur. Inter meretrices maiorem vitæ suæ  
partem consumpsit. Iohannem XI. successo-  
rem nefario adulterio generasse scribitur.

Iohannes XI. Papæ prædecessoris ex adulte-  
rio filius, Papatum quasi hæreditario iure, sed  
per scortationes, obtinuit. Deinceps militem  
poti<sup>9</sup>, quam Ecclesiæ gubernatorem egit. Tan-  
dem cervicali superos iniecto suffocatus est.

Iohanne è viuis exempto, in locum eius per  
seditionem substituitur Iohannes alius, eius  
nominis XII, Sergii III. Papæ ex Marozia me-  
retrice filius. Verum quia clerus & populus Ro-  
manus in eius electionem non consenserāt, eo-  
dem anno sede deiectus est. Rediit tamē postea  
ad Pontificiam dignitatē, mortuo Steph. VII.

Leo VI. deiecto Iohanne XII. cleri ac popu-  
li Romani suffragiis, in maximo tumultu Pa-  
palem sedem ascendit. Sed statim post septi-

num sui regiminis mensem, Anno Dom. 930. veneno sublatus à Marozia fertur, vt spurio locum daret.

Stephanus VII. post Leonem sedem Papalem conscendit: nihilque memoria dignum gessit. Profus n. muti sunt de eo Pontificii scriptores. Vitam cum morte per venenarum poculū commutavit, Anno Domini 932.

Iohannes XII. Sergii III. Papæ, ac Marozie famosæ meretricis ex horrido stupro filius, iterum post seditiones, Leone & Stephano sublatis, ad Romanæ Ecclesiæ fastigium, vnde prius deiectus erat, conscendit. Videatur Luitprandus lib. III. cap. 12. Naturæ cessit, Anno Dom. 937. dum meretrix mater Romæ tam Regnum, quam Ecclesiam adhuc regeret.

Leo VII. patria Romanus, homo fuit ingenii remissioris, ac negotiis tum secularibus, tum Ecclesiasticis minus attentus, suæ tranquillitati & otio tantum consuluit, nihilque de felicitate & memoria dignum, præter solum nomen, reliquit posteris. Obiit Anno Christi 941. post tertium sui Pontificatus annum. Hoc Leone Pontificatum ineunte, Otho Magnus, Saxonie Dux, ad Imperii Romani dignitatem apud Germanos conscendit.

Stephanus VIII. ex Germanis primus, Romanæ Ecclesiæ Pontifex creatus est. In gubernatione autem, à rebus gerendis, Romanorum civium crebris & turbulentis motibus, impeditus fuit, immo intra ipsa mœnia facto conflictu adeo vulneribus confossus est, vt ob cicatricum  
in fa-

in facie deformitatem deinceps in publicum prodire noluerit, sed intra domesticos parietes latitare maluerit. Obiit anno Domini 944.

Martinus III. Stephano defuncto, sellam Pontificiam conscendit. Obiit Anno Domini 947.

Agapetus II. Othonem I. Germaniæ Regem, in Italiam vocauit, & Romanorum Regnum illi promisit, vt cum Berengario conflictaret.

Iohannes XIII. Marozia meretricis nepos, Octavianus antea dictus, stupris, adulteriis, incestis libidinibus, venationibus, ludicris ludis, rapinis, incendiis, homicidiis, periuriis, aleis, sacrilegiis, aliisque flagitiis, ab ipsa adolescentia incubuit. Pontificem agens, nunquam de vitæ emendatione cogitauit. Itaque ab Othone Magno, in Concilio Romano, propter perfidiam, profusam libidinem, & alia flagitia, Pontificatu deiectus est, & in locum eius substitutus Leo VIII. Anno Christi 963. qui confirmatus est ab Imperatore, cui restituit Pontifex ius confirmandi Pontificem Romanum cum omnibus prouinciis, regionibus, Urbibus, & oppidis, quæ ab Imperatoribus antea Romanis Pontificibus concessa erant. Sed absente Imperatore, Iohannes XIII. Pontificatum recuperauit, & cum adultera deprehensus à marito eius confossus est, Anno Christi 964. Constituisse hic Papa scribitur, Balæo teste, vt Imperator Augustus semper posthac à Papa Romæ coronareretur.

Benedictus V. in Iohannis locum à Romanis suffectus est: quod ægre ferens Otho Imperator,

M 5 tor,

cor, cum exercitu Romam venit, eamque fame laborantem in deditioem, acto in exilium Benedicto, accepit. Porro Benedictum hunc Imperator secum in Germaniam duxit, & Episcopo Hamburgensi custodiendum tradidit: & Leonem VIII. restituit. Benedicti sepulchrum adhuc hodie in Ecclesia Håburgensi videre est.

Iohanne igitur ob vitam male actam, in Synodo Romæ congregata, rite deposito, in locū ei<sup>o</sup> omnium tum cleri tum populi Romani suffragiis, ipso etiam Imperatore Othone annuente, Leo VIII. electus est: sed paulo post sede iterum deiectus, ac Iohannes, in cuius ipse locum erat surrogatus, post hunc Benedict<sup>o</sup>, Pontificiam dignitatem, per Romanorum potentiam tenuerunt. Tandem vero Leo VIII. Imper. Othonis ope, pristinum honoris gradū recuperavit: Verū in Papatu non diu vixit, sed Anno Domini 966. post ann. & tres menses, mortē obiit.

Iohannes XIV. Othonem II. à Patre in Italiam vocatum, Romæ in Augustum coronavit: Polonia Regnum ad papismum inuitavit. In hostes suos ea crudelitate usus est, ut immanissimis potius tyrannis, Phalaridi, Dionysio, Neroni, & horum similibus, quam Christi vicario conferri mereatur. Obiit anno Christi 973.

Benedictus VI. in carcere laqueo strangulatus est. Alii fame eum enectū scribunt, an. D. 974.

Donus II. in sede papali post Benedictum locatus, nihil vel male vel bene memoria & literis dignum in pontificatu gessit.

Bonifacius VII. malis artibus Pontificatum adeptus, male est tandem amisit. Nam inito co-

magistratu, conspirantib. in eum ciuib. simul, se ipsum occultare coactus est: & cum videret, sibi non esse tutum amplius manere Romæ, ex D. Petri Basilica preciosissimos thesauros clam & furtim surripuit, ac Constantinopolin aufugit: vbi post menses aliquot, diuenditis omnib. ingentem vim auri collegit, Romamque rediit; pecunia ratus cuncta expugnari posse. Interea temporis dum abesset, Romani in eius locum, Ioh. XV. Pontificem fecerunt. Sed Bonifacius reuersus, Iohanem paratis insidiis cepit, oculis priuauit, carceri inclusit, fame necauit: occupauitq; rursus Pontificiã sedē; in qua non multo post apoplexia periit Anno D. 976. Cadauer eius in Lateranensi platea proiectum, à quouis lanceis & contis impune transfodiebatur, tandē cleri beneficio sepulturæ populari demādabat.

Bonifacio, homine sacrilego, è viuis exempto, Benedictus VII. Pontifex constitutus est, annuente Imperatore Othone II. cuius filium Sen. Othonem III. in Ecclesia Lateranensi coronauit. Vitã cum morte cōmutauit, A. D. 984.

Iohannes XVI. Pontifici Benedicto successit. Suscepto Papatu, miro statim odio in clericos exarsit: quapropter omni populo exosus, & in carcerem coniectus, fame periit: quanto sui regiminis mense.

Iohannes XVII. rei militaris peritissimus, cleri ac populi sui fauore Papatum inuit, Othone III. imperante. Agitatus deinde seditionibus à Crescentio, Consule Romano, imperium Urbis sibi vindicante, cupiditati hominis cessit,

& in Hetruriam exsulatum abiit. At verò Crescentius, cognita Iohannis indignatione, qua percitus Othonem contra se cum exercitu in Italiam vocabat, ipsius Pontificis cognatos & amicos misit rogatum, vt omiffa accersendi Othonis cura ad Urbē cum potestate redeat, polliceturq; se ei in omnibus rebus obtemperaturum. Quare reuersus est, & Crescentius eius pedes, vt & omnes seditionis auctores, petita venia, exosculati sunt, atque ita in concordiam redacti Pilatus & Herodes, vitam simul traxere. Otho interim in Italiam euocatus, Romam aduenit, quo tempore Pontifex graui morbo detentus, vitæ suæ finem accepit, anno Dom. 995.

Gregorius V. origine Germanus, patria Saxo, antea Bruno vocatus, Othonis III. auctoritate, post schismata & lites, Pontifex ob affinitatem creabatur. Verum, Othone in Germaniam regresso, Romanus populus, nouarum rerum cupidus, Crescentium ad Consularem potestatem trahebant, & res Romanas eius fidei commiserunt. Crescentius v. ac populus Urbis, ægre ferebant, Greg. natione Germanum, auctoritate Imp. ordinatum esse Papam: ideo illū Papali sede deiciebant: populusq; & cler<sup>o</sup> Romanus, Ioh. XVIII. prius Episcopum Placentinum, natione Græcum, hominem eruditum & pecuniosum, in eius locum substituerunt. Gregor. a. in Hetruriam primò, mox ad Imp. Oth. III. agnatum suum, in Germaniã se contulit, de summa iniuria conquesturus. Imp. indigne ferens eam contumeliã, in Ital. cum exercitu rediit, vt  
bem



bem oppugnauit, Crescentiũ Consulẽ, & Iohan-  
nem, nouum Pontificem, cepit: quorum Iohan-  
nes, effossis prius oculis, pontificatu simul & vi-  
ta priuabatur: Crescentius vili iumento impo-  
nebatur, & vultu ad caudam verso, nasoq; cum  
auribus abscisso, vt spectaculo esset omnibus,  
per plateas circumducebatur, ac truncatis mem-  
bris ante vrbs mœnia patibulo suspendebatur:  
Punitis igitur aduersariis, Gregorius pristinam  
sedem recuperauit. Restitutus, congregata Ro-  
mæ Synodo, constituit, vt ius eligendi Cæsaris  
apud Germaniæ Principes deinceps maneret,  
scilicet, Moguntinum, Treuirensẽ, & Colo-  
niensẽ Archiepiscopos: Comitem Palatinum  
Rheui, Ducem Saxoniam, ac Marchionem Bran-  
deburgensẽ. His præterea Bohemiæ Princi-  
pem adiunxit, ad dirimendas discordias in pari-  
bus suffragiis. Hanc sanctionem Otho Impera-  
tor anno 1002. approbavit: id quod Galliarum  
Reges non æquo animo ferebant. Sunt qui Im-  
periale diadema accepisse Othonem III. ab hoc  
Gregorio narrant. Obiit anno Domini 997.

Syluester II. natione Gallus, diaboli ope ad-  
iutus, Romani Papatus sedem accepit: necro-  
manticus & Magus sceleratissimus.

Iohannes XIX. cognomine Siccus, natione  
Italus, adiutore itidem diabolo, cuius tum erat  
Papatum dare, Syluestro mago, ac Satanico  
mõstro successit, suffocatus veneno à suis, an-  
no Domini 1004. Eius tempore Cardinalium  
nomen in pretio esse cœpit: & frequentes Syno-  
di in Italia atque in Galliis celebratæ sunt: Bam-

bergenſis etiam Episcopatus creatus.

Iohannes XX. cognomento Faſanus, Iohanne prædeceſſore venenata potione ſublato; prodigioſis artibus Sathanici Papatus ſellam occupavit. A prædicto enim Sylveſtro, qui Magus diabolicus erat, uſque ad Gregorium VII. fa- moſi fuerunt incantatores Romani Pontifices omnes, Ægyptios magos maleficiis lōge ſuperātes.

Sergius I V. Iohanni ſuccedens, non aliis mediis, quam ſui prædeceſſores, pontificale conſcendit faſtigium. Iuxta chronographos nihil egit historia dignum.

Benedictus VIII. per magicas operationes papatum obtinuit. Henricum II. Imperiali corona donavit. Ex hac vita deceſſit, anno Domini 1023. Aureum orbem cum exſtante cruce primus inuenit, quo Cæſares pro maiestatis inſigni vii conſueverunt.

Iohannes XXI. poſt Benedictum fratrem, arte nefaria pontificatum eſt aſſecutus. Conradum Imperatorem Imperii diademate redimit. Mortem obiit, anno Domini 1034.

Benedictus IX. prædeceſſorum fratrum Benedicti & Iohannis nepos, Theophylactus antea vocatus, Romanam ſedem Satanicis artibus, ac magicis præſtigiis obtinuit: & poſt Leonem IX. quinto papalem cathedram repetiit, donec Victor II. veniret. Poſt defunctum Cæſarem Conradum, molitus eſt filium eius Henric. III. ſucceſſione priuare, & illius loco Petrum Hungariae Regem, Auguſtum conſtituere, miſitque illi Imperii coronam, cum hoc verſiculo:

*Petrus*

*Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam.*

Sed Henricus III. primo conflictu Petrum cepit, Romamque venire disposuit: quo audito, Benedictus, timore perterritus, papatum complici suo Iohanni Gratiano vendidit, qui postea dictus est Gregor. VI.

Sed interim Benedicto dignitate sua exuto, Romani in eius locum substituerunt Iohannem, Sabinensem Episcopum, Sylvestrum III. appellantes. Sed hoc post 49. dies pulso, Benedictus denuo restitutus est: quum autem cerneret, se iterum discrimina subiturum, Gregor. VI. pontificium munus vendidit.

Gregorius Sextus, magus insignis, antea dictus Iohannes Gratianus, papatum à Benedicto emit.

Trium vero Romanorum pontificum de suo iure concertantium pugnis, non solum ipsa Roma, sed tota pene Italia concussa est. Hosce ut Imperator Henricus III. compesceret motus, quam maximis collectis copiis in Italiam contendit. Romam ubi deuentum esset, Imperator in frequenti Episcoporum Synodo causam cognouit, ac tribus illis loco motis, Suidgerum, Bambergensis Ecclesiæ Episcopum, pontificem constituit, anno 1046. qui mutato nomine Clementem II. se appellauit. Abeunte vero Imperatore, Romani, iurisiurandi immemores, Clementem, quem absque suis suffragiis creatum dicebant Episcopum, veneno necarunt: cuius facinoris quidam Stephanum, eius successorem, autorem faciunt.

Stepha-

Stephanus Bagnarius, natione Bauarus, post Clementem, Romanam sedem per vim accepit, indito sibi Damasi II. nomine. Sed 23. sui Pontificatus die, veneno sublatus est.

Post Imperatoris Henrici III. ex Italia discessum, Benedictus Romam reuersus, ad pristinam dignitatem per fas nefasque iterum aspirabat, ac in vrbe non exiguas dabat turbas, Romani itaque Cardinalium consilio, legatos ad Imperatorem, petitum Pontificem mittunt. Horum postularis annuens Imperator, Brunonem Alsatium, Comitem de Dagsburg, & Tullensis Ecclesiæ Episcopum, iis dedit Pontificem: quem Romani Leonem IX. appellarunt. Hic Romanis eligendi Pontificem, expulso Imperatore, restituit. Romam ex captiuitate Normannica reuersus, hausto veneno, diem clausit extremum, anno 1054.

Sublato Leone, Gebhardus, Episcopus Aichstadiensis in Bauaria, consecrationem Pontificalem accepit. Victor II. appellatus, anno Domini 1055. Florentina Synodo vxoratos Episcopos suis exuit dignitatibus. In Pontificatu excessit biennium. Mortuus est Florentiæ.

Stephanus X. Fridericus antea vocatus, Gothelonis Lotharingiæ Ducis filius, mortuo Victore, à Clero & Romano populo, non explorata prius Imperatoris voluntate, Pontifex creatus est: veneno extinctus Florentiæ, cum ibi Synodum acturus esset, septimo Pontificatus sui mense.

Nicolaus II. pulso inuasore Iohanne Mincio,  
Episco-

Episcopo Veliterno, Senis Pontifex, sine Cæsaris consensu, Hildebrando instigante, creatus est, anno Domini 1059. sub hoc celebratum Romæ Concilium, & Berengarius damnatus est.

Nicolao è viuis exempto, Alexander II. Episcopus Lucensis, Anshelmus antea dictus, vulpina Hildebrandi calliditate, vt sibi ipsi ad Papatum viam sterneret, Romæ absens electus fuit in Pontificem: Imperatore neque salutato, neque consulto. Huic Longobardi, ex Imperatoris consensu, alium opposuerunt Pontificem, quem ipsi Basileæ in Comitibus eo præsentem elegerant, Cadolum nomine, Episcopum Parmensem, qui magno cum exercitu Romam obsedit, commissoque prælio vno atque altero, cum suis fugatus est: Dictus est in Pontificatu Honorius II. Alexander vero sub miserabili Hildebrandi iugo, non sine veneni suspitione, diem clausit extremum, anno Domini 1074.

PATRES, ET PRÆCIPVI  
in Ecclesia Doctores.

**I**oannes Scotus, claruit paulo ante Bertrammum, sub Carolo Magno Imp. circa annum Domini 800. dictus Mailrosius, Monachus Benedictinus, Bedæ Monachi, atque Doctoris clarissimi quondam auditor atque discipulus: collega Alcuini, siue Albini, cum quo ex Britannia in Galliam venit: vir in omnibus scripturis doctissimus, atque Carolo Imperatori charus. Scripsit is librum de Eucharistia, in quo per omnia creditur retinuisse & seruasse doctrinam beati Augu-